

16407.

**ADMINICULA
QUAEDAM EDUCATIONIS PHYSI-
CAE INFANTUM.**

**DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA**

**QUAM
SENSU ATQUE AUCTORITATE
AMPLISSIMI ORDINIS MEDICORUM**

IN

**UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,**

UT

DOCTOR MEDICINAE

LEGITIME EVADAT

SCRIPSIT ATQUE PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Carolus Fredericus Meucking,
CURONUS.

DORPATI LIVONORUM.

**TYPIS J. C. SCHUENMANNI,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCXXXVI.**

Commilitonibus

e patria eadem oriundis

curonis

in recordationem temporis iisum fauste

peracti

p^ragellas hæc

d. d. d.

IMPRIMATUR

haec dissertatio, ea tamen conditione, ut simulac typis fuerit excusa, quinque ejus exempla collegio libris explorandis constituto tradantur.

Dorpati Liv. die 11. m. Maii 1836.

Dr. P. U. WALTER,
Ord. Med. h. t. Decanus.

Auctor.

Errores in educandis infantibus et quae inde oritur mortalitas.

Omnino tempore animadvertere licebat, nostroque, etsi rarius, videmus, quae cum imperitiâ et socordia parentes in infantibus sustentandis et alendis versentur; quae vitia, si alias eorum sequelas non respicis, inter causas nimiae mortalitatis gravissimas (1) recensenda sunt, quae primis vitae annis abripi solent homines. Infans simulac lucem adspexit, obstetricibus saepe committitur artis suae ignavis, quae maxime contra naturam peccant, utpote violenta laticis lactei expressione, quae interdum in mammae glandulis recens natorum reperi-

1) M. Mesmer de mortalitate liberorum. Landshut Bavaror. 1826 p. 7.

tur vel stolidam capitis compressione, rotundam et placidam quandam ejus formam effecturae. Maxime dein peccatur in neonatorum victu vestibusque recte instituendis. Sunt enim, quibus nutritionis fons negetur, a natura matrum sinui concessus; sunt, quibus praebeatur lac, nullo respectu habito, quonam animi affectu (2) sit nutrix quaeve alia infanti nutriendo nocere possint. Aliae bene egisse putant, si cibo alieno nimioque eum nutraverint; aliae vero potius fame consumi sinunt infantes, quamvis lubenter Boërio (3) concesserim, id rarius fieri. Reperiuntur contra, qui, ut neonatum roborarent, et laboribus sustentandis validum reddant, frigori eum exponant, alique autem, qui nimia fasciarum et vestium mole eum emolliant, aliave peccent quae impediant, quominus organa ad naturales functiones excolantur, et sanitatem hac via subvertant, citamque mortem parent.

Alii errores, quorum nec numerus nec vis non minor est, quamvis non statim in oculos cadant, reperiuntur in animi indole excolenda. Cum autem ex proposito sit

2) Friedrich Meissner. Die Kinderkrankheiten nach den neuesten Ansichten und Erfahrungen. Leipzig 1828. Theil I. S. 8.

3) Henr. Xav. Boër. Versuch einer Darstellung des kindlichen Organismus in physiologisch-pathologisch- und therapeutischer Hinsicht. Wien 1831. S. 60.

plagulis hisce de solis incommodis disputare, quae ex educatione naturae incongrua corporis sanitati parantur, de iis, quae contra ingenium animumque neonatorum peccantur, graviora tantum afferam, quorum vis atque momentum in corpus servandum negari non possit. Monere sufficiat de iis incommodis, quae ex eo oriuntur, quod parentes primo jam vitae tempore liberorum ingenium magis quam par est excitare (4), exercere, augere student, — et de iis, quae nascuntur ex difficultate medicamenta infantibus dandi, quae ex retinentia et timore fluit, quos parentes medicum et medicamenta liberis, si quid puerilis peccaverint, minantes, aut blanda in natos indulgentia provocare solent. Estque haec res, uti Jahnius (5) bene animadvertit, multorum infantium exitus.

Praeterea hos quos breviter recensui errores multos alios, qui in physica et ingenii educatione animadvertuntur, recensere, harum plagularum prohibet ratio; cum res ipsa jam docere videatur, quam multi miserorum illorum, quorum vitalitas longiori vitae sufficere videbatur, hac edu-

4) Liber citat. Meissneri Theil I. S. 9.

5) Friedrich Jahn. Neues System der Kinderkrankheiten nach Brownischen Grundsätzen und Erfahrung. Rudolstadt 1807. S. 7.

catione (6) perversa primis jam vitae annis interimantur. Et licet medico saepe certissima praeterea animadvertere signa, quantum damni toti hominum vitae hac negligentia aut inscitia afferatur, cum morbi non pauci morborumque dispositiones ex hac teneri aetate in proveciorem transeant, mortem citius aut serius paraturae. Quapropter ex toto pectore optandum est, ut errores, negligentia moresque hi perversi ex parvulorum conclavibus recedant.

§ 2.

Nimia infantum mortalitas.

Quanta autem sit neonatorum mortalitas, quantaque spes parentum, civitatis primis vitae annis auferatur, mortuorum indicibus edocemur. Suessmilch (7) enim teste inter mille infantes, XXX. mortui ad lucem prodierunt; — dein Meissner (8)

6) C. W. Hufeland. Makrobiotik oder die Kunst das menschliche Leben zu verlängern. Stuttgart 1826.

7) Suessmilch. Göttl. Ordnung in den Veränderungen des menschlichen Geschlechts aus der Geburt, dem Tode und der Fortpflanzung desselben erwiesen. Berlin 1776. 1. Theil. S. 166.

8) Friedrich Ludwig Meissner's Forschungen des neunzehnten Jahrhunderts im Gebiete der Geburtshilfe Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. Leipzig 1833. Band I. S. 370.

narrat, Lipsiae XXV. annorum spatio infantem duodevicesimum fere quemque mortuum a matre procreatum esse; et in regionibus aut urbibus nonnullis majorem adhuc natorum partem mortuos prodiisse, cujus rei testimonia apud Fleischium (9) leguntur.

Haud minus dolendum est, si numero eorum, qui vitam plantarum similem, quam in utero degebant, cum vita strictiore commutaverant, cum eorum numero qui primis vitae annis morte consumi solent, comparato, infantum mortalitatem maximam esse intelligimus. Primo enim anno quarta (10) natorum pars perit, et in primo atque secundo vitae anno majorem fere quam tertiam infantum partem reperimus vitam amittere. In annis, qui insequuntur, mortalitas minor esse invenitur, sed nihilo secius tam magna, ut ad decimum aetatis annum dimidia (11) natorum pars pereat.

9) Carl Bernhard Fleisch. Handbuch über die Krankheiten der Kinder und über die medenisch-physische Erziehung derselben bis zu den Jahren der Mannbarkeit. Leipzig 1803. Band I. S. 23 und 24.

10) L. c. Fleischii. S. 22.

11) F. Meissner. Die Kinderkrankheiten etc. S. 5.

§ 3.

Aliae quaedam hujus mortalitatis
causae.

Quibus exemplis, quae supra de nimia infantum mortalitate diximus, comprobatur; in errore autem versaremur, si noxiam eorum educationem in primis vitae annis solum tantae necis causam putarem; aliae praeterea exstant, quae infantes longiore vita privant. Quas ut bene recteque persciamus, res altius (12) repetenda erit, ita, ut non solum in primis annis, quos sub luce degit infans, tam tristis exitii causas investigemus, sed potius de foetus quoque conditione quaerentes jam huic curam advertamus.

Tota autem procreatio et formatio organica hominis nobis non omni ex parte nota est, ex quo scientiae physiologicae defectu palam est, status pathologicos foetus nobis non minus incertos esse. Certo autem contendere licet, in foetus quoque vita status (13) innormales inveniri, qui

12) J. Robertson observations on the mortality and physical management of children. London 1827. S. 8.

13) Journal der practischen Heilkunde, Herausgegeben von C. W. Hufeland und E. Osann. Berlin 1827. LXIV. Band. 1. Stück. Januar. S. 16.

normale (14) incrementum et vitalitatem infantis impediunt. Cum autem in hac periodo foetus non multum distet a planta, homini quodammodo simili, et, quod Malfatti (15) recte observat, in asphyxia quadam versetur, vita animalis minus vigeat, vegetativa autem primas partes teneat; jam elucet, maximam partem statuum pathologicorum vitam vegetativam (16) in foetu occupare. Qui status aut una cum hominis germine oriuntur, quia prima ejus indoles, ob statum innormalem et turbationes in organismo parentum, vel in ipso procreationis actu (17), corrumpitur, aut ex eo originem ducunt, quod mutua relatio inter foetum et externa (18), quae in eum vim exercent, contra normalem regulam sese habet, qua in ratione, quod reapse patet, matrum or-

14) C. Carus. Lehrbuch der Gynaekologie oder systematische Darstellung der Lehren von Erkenntniß und Behandlung eigenthümlicher gesunder und krankhafter Zustände, sowohl der nicht schwangern, schwangern und gebärenden Frauen als der Wöchnerinnen und neugeborenen Kinder. Leipzig 1828. Theil II. S. 216.

15) J. Malfatti. Entwurf einer Pathogenie aus der Evolution und Revolution des Lebens. Wien 1804. S. 4.

16) L. c. Cari. Theil II. S. 262.

17) Ph. C. Hartmann's Theorie der Krankheit oder allgemeine Pathologie. Nach dem lateinischen Originale frei bearbeitet vom Verfasser. Wien 1823. S. 175.

18) L. c. Hartmann. S. 413.

ganismus imprimis respiciendus est. Animadvertimus enim corporis animique indoles parentum vim magnam in ipsum infantis ortum exercere, cum non solum virtutes et vitia; sed etiam corporis formae structuraeque peculiare a parentibus liberis interdum committi videantur. Cujus rei si exempla cupis, tibi suppeditant: Gregori, Zimmermann, Stahl, Mauriceau, Blumenbach (19), Rodericus a Castro (20), Haller aliique. Non solum autem procreationis conjuncturae ipsae, sed etiam conditiones et mutationes, quae vitam organicam in utero comitant, vim magnam exercent in processum formativum embrionis sese excolentis. Atque certum est, omnia, quae matrem nimis afficiant, formationem hominis futuri mutare posse. Cum autem morum sinceritas, qualis antiquis fuit, nostra tempestate rarius inveniatur, aevumque nostrum luxui deditum sit atque morum corruptelae, et propterea morborum numerus tam mire auctus sit, nostrum genus, pejus avis, sanitate et corporis et mentis minori gaudet; unde facile suspicari licet, nostro tempore vitia non pauca congenita et hereditaria, de quibus diximus, inveniri. Quod

19) Joh. Fr. Blumenbach. Medicinische Bibliothek. Göttingen 1783. I. Band, S. 730.

20) Roderici a Castro Lusitani, de universa muliebrium morborum medicina, opus absolutissimum. Pars prima. Cap. V. Lib. II. p. 53. Hamburgi 1662.

sectionum relationes a Veronio (21) aliisque traditae, confirmant, quas in Meissnero reperimus.

Dein partus ipse vel saepe mortem subitam parat infanti, vel mortis citioris aut tardioris causas (22) ei conciliat. Si enim relationes (23) respicimus inter foetum graviditatis tempore et matrem, et quomodo dein partus tempore mutantur, hujus rei documenta certissima invenire difficile non erit. Videre licet foetum in utero spatium invenisse artus ampliandi, ibique non solum locum tutissimum, sed etiam victum saluberrimum accepisse, uti et temperaturam (24) constantem et mitem, quae maxime necessaria erant, ut excoleretur. Quae omnia, postquam per novem menses foetus iis assueverat, repente magna cum vi mutantur. Quae mutatio multis rebus, quae aliunde accedunt, perniciosior fit. Primum enim parturientes multae normali partu, qui nec ipsis, nec infanti noceret, sua culpa non gaudent. Scimus mulierem, quo melius typus muliebris in ea excultus

21) M. Veron. Observations sur les maladies des enfans. Vol. I. Paris 1825.

22) Schäffer über die gewöhnlichsten Kinderkrankheiten und deren Behandlung. Nach Armstrong neu bearbeitet. Regensburg 1792. S. 5.

23) F. Meissner. Die Kinderkrankheiten etc. Thl. I. S. 121.

24) L. c. Boëri. S. 68.

inveniatur, eo facilius omnes functiones a natura feminis impositas, igitur et partus explere. Quam multae autem nimio corpus colendi studio, saltandi libidine, illicita venere, et aliis rebus corpus animumque pesum dederunt, ita ut partus ipsis et infanti maxima pericula minitet. Dein alia causa quaerenda est in perversa parturientum cura. Quamquam enim nostro tempore ars obstetricia ad magnum culturae fastigium evecta sit, tamen medicos non semper reperimus, qui eam bene calleant, partusque praeterea videmus obstetricibus et matronis committi, quarum nec scientia, nec experientia his in rebus magnae sint, adeo ut maxima inde damna et matri et infanti nascantur.

In mortalitate denique infantum post vitam conceptam videmus, hanc in primis magnam esse, usque dum dentes lactarii (25) eruperint. Quo minor aetate infans, eo major character mollitiei et atoniae in organica ejus structura et textura, eo major receptivitas in eo, eoque magis causae morbiferae functiones normales organismi teneris minus consistentis minorisque energiae turbare vel prorsus tollere valent. Si autem prima hominis aetas dicitur debilis minusque exulta, et evolutionibus valde

25) Fr. Meissner. Die Kinderkrankheiten. Theil I. S. 6.

obnoxia esse, id de primis vitae annis maxime dicendum est, in quibus vires et organa multa, quorum ope homo aetate provector turbationes functionum suarum removere potest, aut minus perfecta sunt, aut prorsus desiderantur. His processibus evolutionis, in quibus novae vires et functiones excitantur aliaeque evanescent, harmonia vitae necessario mutatur, aequa functionum conditio turbatur, aetasque haec in morbos mortemque multo propensior fit.

Quibus ex rebus intelligere licet, quantae pericula infanti subeunda sint, et quam saepe mors eum maneat, antequam magis excultus in rerum humanarum vicissitudines prodire, corpusque ejus quodammodo a periculis securum (26) putari possit. Sed praeter has, quas generaliter recensuimus causas mortis, quae in primis vitae annis recens natos abripit, alias invenire licet ab eruditis artisque medicae gnaris, qui de infantum morbis scripserunt, allatas. Primum huc pertinet perversa curatio morborum (27) infantum, quae ex eo saepe prodit, quod difficillimum est, infantis, qui dolorem atque pathemata sua definire non potest, cruciatus malave recte perspicere, dein ex eo,

26) Osthof. Kleine Beiträge zur Erweiterung des medicinischen Wissens. Duisburg und Essen 1804. I. Band. § 7.

27) Wilhelm Rau. Handbuch der Kinderkrankheiten. Frankfurt a. M. 1832. S. 46.

quod rarius a medicis bene perscrutetur tenera, diversa atque peculiaris infantum (28) constitutio. Matrum mos non minus nocet, quæ medicorum consilium posthabentes ad matronas (29) ignaras confugiunt, illosque nimis sero (30) in auxiliū vocant. Dein peculiaris infantum dispositio ad certos morbos huc pertinet, uti ex. gr. ad tussim convulsivam, exanthemata acuta, aliosque. Anno decimo elapso infantes horum morborum partem magnam aut superaverunt aut dispositionem ad eos magis minusve amisserunt.

§ 4.

De magna cura, quæ igitur educationi adhibenda sit, et quamnam ejus partem hic exponamus.

Bene intelligi potest, excepta perversa educatione, maximam partem causarum mortalitatis infantum in primis vitæ annis partim cum conditione naturali organismi infantum cohaerere, ut repelli non pos-

28) L. c. Fleischii. T. I. S. 41.

29) Horsch. Versuch einer Topographie der Stadt Würzburg. Arnstadt und Rudolstadt 1805. S. 46.

30) L. c. Meissneri. Die Kinderkrankheiten etc. Theil I. S. 11.

sint, partim concursu causarum plurium, quæ extrinsecus accedunt magis minusve (31) insuperabiles fieri. Nonne ex hoc sequitur, educationi infantum, quippe quæ a nobis pendeat, animum advertendum eique meliorandæ imprimis studendum esse? Dein retuli, hanc nimiam mortalitatem infantum magna ex parte ab eorum debilitate et depravatione derivari debere, qui eos procreant; quæ parentum prava conditio (32) cum maxime pendeat ex ipsorum perversa educatione, causa hæc major est ut huic educationi curam maximam adhibeamus. Parentes igitur non soli et neonatorum propinqui, sed humani generis amans quisque, quin ipsa civitas, viris iis, qui et medicos et hujus artis ignaros hac de re docere studuerunt, gratias maximas referant, quod tantam humano generi utilitatem scriptis suis attulerint. Quod igitur thema hocce scribendi mihi elegi, neque vero totum ejus ambitum amplexus sum, neque quid omni numero absoluti scripsi, iudices lectoresque benevoli, mihi tironi id ignoscant, bene gnari, me plagulas hæc

31) Adolph Henke. Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Kinderkrankheiten. Frankfurt a. M. 1821. Dritte verbesserte Ausgabe. 1. Band. S. 8.

32) H. Horscheldt. Primæ lineæ diætiticæ de aere. esculentis et educatione physica. Wirceburgi 1728. S. 120.

iis tradere, non ut laudis horum virorum doctorum particeps fiam, sed quia rerum mearum ratio postulabat, ut specimen inaugurale ederem. Nunc etiam propositum aggrediar, adminicula educationis physicae in prima aetate illa pertractaturus, quae a justo matrum lactatu pendent.

§ 5.

Sola lactatione neonatis non omni in re consuli, sed officia quaedam in ea observanda esse.

Quamvis mater, quae bona fruitur valetudine et nulla legitima aut necessaria causa impeditur, quominus infantem suum lacte suo nutriat, certa esse possit, victum hunc aptissimum et saluberrimum fore *), tamen oblivisci non debet, cum lactatione multa officia conjuncta esse, quae neglecta majus

*) Heckero (33) teste ex infantibus mille, quos matres lactaverint, trecenti; ex iis autem, qui a nutricibus aluntur, quingenti moriuntur.

33) Die Kunst unsere Kinder zu gesunden Staatsbürgern zu erziehen, und ihre gewöhnlichsten Krankheiten zu heilen. Von Dr. August Friedrich Hecker. Erfurt 1805 p. 8.

fortasse detrimentum parant neonato, ac si mammam ei prorsus recusavisset. Exempla in promptu sunt, quae extra omnem dubitationem ponunt, quam facile infans, qui commoda, quae ex matris lactatione fluunt, recte postulare posset, ob imprudentiam matrum atque ob errores lactationis tempore commissos haec perdat. Non licet credere matrem, quae amore ducta nato suo lac praebet, ex eodem amore recta semper facere eadem, quae corpori et animo neonati prosint. Quodsi enim matres hasce videmus consuetudine perversa, superstitione, vanitate aliisque rebus impediti, quominus cum neonatis, quos diligunt, bene agant, quanto magis id in iis matribus animadvertemus, quae infantum suorum amore fere nullo ducuntur!

Nulla igitur mater sola neonati lactatione omnibus officiis satisfactum putet, quae in eum habeat, sed ut hoc factum dicatur, si nec de cautelis illis, quae matri lactationem interdicunt, nec de reliquis dieteticis circa infantes praeceptis cogitas, imprimis curare debet, ut lactatus ipse quantum possit utilis et saluber instituat, ut hac via dieteticis praeceptis iis in rebus satisfiat, quas infantum tractus intestinalis exigit. Quem ad finem assequendum quid postuletur, jam explicandum est.

§ 6.

De lactis qualitate et quantitate.

Mater lactans, quantum fieri potest, lac praebet et in qualitate et in quantitate bonum. Facile est perspectur, ex justa partium, quae lac constituunt, mixture, et ex sufficienti earum secretione infantis sanitatem maxime pendere. Cum igitur matris sanitas maximè momenti sit in secretionem (34) quamcunque, et quod inde sequitur, in lactis secretionem ipsam ejusque bonam indolem atque copiam; sine dubio lactans quaeque huic curam impendere debet assiduam, et sollicitè omnes res nocivas vitare, quae in decursu periodi puerperii et lactationis eam afficere possent. Quamvis lactatio ipsa non magis aegrotae indolis (35) videatur, quam digestio et respiratio, tamen cum status sit, qui insolitis adnumerari debeat, quique matres propterea minus validas facit morborum impetui resistere, sollicita et diligens sui cura matri hoc tempore maxime commendanda est, quam in re id sequi debet, quod simplex

34) Ludovicus Friedlaenderi fundamenta doctrinae pathologicae sive de corporis animique morbi ratione atque natura. Leipzig 1828. S. 348.

35) C. Carus. Lehrbuch der Gynäkologie. Leipzig 1828. Theil 2. S. 147.

est atque aptum naturaeque maxime congruum. Quod in primis de puerperio dicendum est, quo in tempore corpus muliebre tanta mutatione (36) afficitur et ad tot tantosque morbos disponitur. Quare Jahnio (37) adsentior, qui in opere suo de infantum morbis haec habet: „Si post paucos dies totum nutritionis opus ad certum ordinem pervenit, magnis curis opus non erit, nisi ut nimia virium fiducia in primo puerperii tempore vitetur. Nullo in morbo severior sum et rigidior in cibo, potu, vestitu, temperatura et reliqua cura instituenda, quam in puerperio. Nimis saepe enim experientia edoctus sum, vitium unum contra diaetae regulas commissum pectoris nudationem imprudentem, conclave semel tantum relictum puerperii felicitis progressum intercepisse.“

A scopo nostro alienum est, omnes causas nocivas recensere, quae naturalem decursum hujus periodi mutant, vel regulas omnes tradere, quae matris sanitati tuendae maxime inserviunt. Omni enim, quae generatim de cibo, potu, motu, quiete, aëre, animi pathematibus, somno, vigiliis, excretis et retentis monenda essent, hic missa facio, cum in specialem quandam dieteticam in usum puerperarum pertinent. Sa-

36) Ibidem S. 184.

37) L. c. Jahnio. S. 129.

tius autem puto de iis rebus tractare, quae peculiariter (38) faciant, ut lac nec in qualitate nec in quantitate in deterius agatur.

a) Mater quaevis lactans animi motus fortiores vitare debet. Nam experientia docet, moerorem, animum demissum, metum, omnes denique motus animum deprimentes, etsi non repente, tamen semper lac minuire, vel ejus secretionem impedire, et veram agalactiam procreare posse. Totum enim systema nervosum (39) deprimunt, et si nervi mammae eodem modo afficiuntur, quorum paralysis oriri potest et secretionis facultas tollitur. Igitur quantum poterit omnia vitet, quae eam in ejusmodi animi affectus ducere possent. Ex multis causis, quae huc pertinent, eas tantum asseram, quae in appetitu sexus functionis suppresso animadverti possunt. Experientia docet, violentam suppressionem hujus appetitus (40) lactantium sanitati non consulere, at vero ubi huic appetitui modice satisfactum (41)

38) Joh. Chr. Rosenmüller. Die Kinderstube von ihrer physischen Seite dargestellt zur Beherzigung für Hausväter und Hausmütter. Leipzig 1803. S. 54.

39) Wilh. Andreas Haase über die Erkenntnis und Kur der chronischen Krankheiten des menschlichen Organismus. Leipzig 1820. 3. Band. 1. Abtheilung. S. 212.

40) Chr. Girtanner. Abhandlung über die Krankheiten der Kinder und ihre physische Erziehung. Berlin 1794. S. 57.

41) L. c. Henkii, Theil I. S. 93.

sit, (dum ne iterum conceperit utero) id neque matri neque infanti nocuisse. Quod contra veteres medicos quosdam, ex gr. Rosensteinium (42) pugnat, qui nimis hac in re rigidus censor, a venere prorsus abstinere jubet matres. Haec autem neque de nimia veneris si ei indulgetur (43), cupidine, neque de spirituosorum appetitu valent. Qua in libidine non minus, quam in ira aut terrore excitato, lac fere repente mutatur, qua ex re neonato dolores colici spasmi diarrhoeae aliaque mala oriri solent. Quam repentinam mutationem ut explicemus, cum Boerio (44) statuere non possumus, quantitatem partium lac constituentium mutari, sed quod verisimilius est, dynamicam vim hancce normalem earum mistionem et qualitatem immutare *). Quos effectus nocivos ut vitet mater (45) post ejusmodi animi affectum ne praetermittat non prius mammam praebere nisi lacte ex ea saepius expresso, vel lactisugio vel catellis adhibitis vel muliere quae sugat accita, do-

42) Nils Rosen von Rosenstein Anweisung zur Kenntniss und Kur der Kinderkrankheiten. Uebersetzt von J. Murray. Göttingen 1798. S. 14.

43) L. c. Henkii. Theil I. S. 92

44) L. c. Boëri. S. 58.

*) Sic inventum est, post vehementem animi excitationem in mammis lac flavo colore immo paene viridi et sapore amaro. Vid. Sammlung auserlesener Abhandlungen für praktische Aerzte. B. XV. S. 121.

15) L. c. Rosensteinii. S. 17.

nec vis nociva hujus affectus verisimiliter evanuerit, quod ex pari omnium functionum conditione (46) intelligitur. Per totum tempus hocce infans alio cibo potuque sustentandum esse, per se patet.

b) Mater quaeque non solum bonos cibos levesque, qui tamen satis nutriant, sufficienter sumere, sed et iam alios (47) cibos graviores qui lacti minus favent prorsus vitare debet, quo pertinent caro sale fumove confecta, cibi aromaticis, garo aut muria nimis conditi, fructusque immaturi et rel.

c) Matri cuivis magna cura mammis ipsis adhibenda est. Nimis saepe matres coactas videmus lactatum interrumpere propter vitia et morbos mammarum, quae ipsarum culpa procreata lac corruperant.

Monere hic sufficiat de mammarum papillis nimis parvis vel crudis vel nimis teneribus, quae mala, ob praeparationem jam ante partum (48) nimia socordia neglectam, vel post partum, vestium, inprimis strophiorum pressione aliave incauta tractatione (49), adaucta, lactatum impediunt, quid-

46) C. Fleisch, Handbuch über die Krankheiten der Kinder und über der medicinisch-physische Erziehung derselben. Leipzig 1803. 1. Band. S. 134.

47) D. Bartenstein. Diss. de morbis infantum recens natorum. Strasburg 1811 p. 4.

48) L. c. Fleischii. Theil I. S. 121.

49) L. c. Rosenmülleri. S. 75.

quod prorsus tollunt. Non minus nocere videtur matrum quarundam mos, quae lactationis tempore mammas parum vestiunt neque contra aërem liberum frigidumque satis muniunt, cum apta pectoris, humerorum et brachiorum munitio maxime (50) faciat ad hoc genuinum et abundans procreandum. Mammarum conservationi dein consulit, si mater in puerperio inprimis mammas (51) alternis vicibus infanti praebet; qua re, praesertim si mamma non saepius quam secunda aut tertia quaque hora datur, cavetur, ne papillae nimis atterantur.

d) Mater memor sit, ne remedio, quo ventri profluvies paratur, sumto, mammam statim praebet, cum lac ejusmodi remedio miti quasi exhauriatur, post catharticum (52) valentius autem — quod puerperae nunquam dari deberet — infanti quoque, non sine magno periculo alvus detrahatur.

e) Dein pransa statim mammam ne praebet. Partim enim matri nocere potest, si secretionem glandularum mammalium excitata, activitas organorum, quae digestioni inserviunt, invertitur; partim lac hoc tempore secretum infanti (53) non prodest.

50) L. c. Cari. Theil II. S. 189.

51) Ibidem.

52) G. Pauli. De victu et regimine lactantium. Leipzig 1741. S. 15.

53) L. c. Rosenmülleri. S. 55.

Tempus quo haec pericula evanuisse videri possunt, pendet non solum a peculiaribus, magis minusve idoneis digestionis viribus, sed etiam a qualitate cibi sumti, et ab aliis rebus, quae magni momenti sunt in digestionem, ad quam bene constitutus animi habitus laetitiaque et reliqui affectus plurimum conferunt. Ubi enim digestio difficilius et lentius procedit, diutius cunctari debet mater, quam si contrarium esset. Ex quo sequitur, lactanti omnia vitanda esse, quae digestionem tardius et aegrius promoveant.

f) Magna cautela adhibenda est, si mensium fluxus aut graviditas denuo exorta intervenit, cum experientia doceat, lac his temporibus (54) infanti non semper consulere. Quod bene monet Rosenmueller, qui haec praecipit: Si menses lactatus tempore redire incipiunt, et infans lacte sumto inquietus fit, suadendum est, ut fluxus tempore lactatus interrumpatur. Quod facile explicatur, si reputamus mensibus facultatem vitalem in mammis imminui, cum in utero denuo vigeat, unde fit, ut lac mancum aquosum quodque minus alimenti habeat exoriatur. Matres in primis teneris indolis, quarum menstrua certa periodo et per aliquod tempus fluentia iterantur, hoc magis timere et lactatum multo magis inter-

54) L. c. Rosenmülleri. S. 59.

rumpere debent, quam matres, quae magis plethorica gaudent constitutione, quarum menstruatio non mense quovis redit, sed post causas fortuitas, quae sanguinis circuitum auctum ad organa genitalia ducunt, ex. gr. post potus spirituosum nimium usum, vehementem atque continuum corporis motum coitum omniaque cetera, quibus genitalia excitantur. Quae causae si adsunt, lactatum intermittere non semper necesse est. Optimum autem signum, num lac praebendum sit, nec ne, ex infantis conditione sumi debet; si enim vigiliis premitur et inquietus fit, intestinorum torminibus cruciatur (55) aliisque molestiis, haec matrem doceant a lactatione sibi abstinendum esse donec fluxus illo cessaverit.

Quod autem mutationem lactis attinet, quae graviditate denuo exorta efficitur, reperiuntur medici, inter quos celeberrimum van Swieten nomino, qui contendat, primis graviditatis mensibus lac deterius non fieri; quin van Swieten ille exempla afert, matres ad alterum fere partum usque mammam praebuisse primogenito sine infantis et sine in utero gestati incommodo. Quae autem certo rarius accidere solent, cum facile perspectu sit, lactatum in graviditate jam provecta matrem non solum debilitare

55) Car. Müller. De vitis lactis humani eorumque medela. Jena 1746. S. 21.

et partus laboribus minus idoneam (56) facere, sed quoque lactenti et foetui in utero jam degenti nocere debere. Quapropter in proveciori graviditate a lactatu prorsus abstinendum est; matribus autem, quarum constitutio debilis et tenera est, quaeque bona nutritione non gaudent, praescribendum est, ut a lactatu abstineat, simulac novam graviditatem sentiunt.

§ 7.

De lactationis tempore.

* Matri dein cuius videndum est, ut lactatio recto tempore et incipiat et finiatur, neve aut nimis raro, aut nimis saepe continuetur.

Cum autem res haec tam arcte cum functionibus tractus intestinalis cohaereant et diaceticam tractationem infantis quoad tractum intestinale efficiant, alienum non videtur, de tractu ciborum et de organis ejus adjuvantiis quaedam praemittere.

Notum est, neonato ea deesse, quae in primis requiruntur, ut nutrimenta solidiora et consistentia, contrita et saliva imbuta, concoquantur, cum nec dentibus instructus

56) C. Schroedter. De lactationis impedimentis. quae matribus obstant. Berlin 1820 p 37.

sit, nec maxillis satis fortibus, ejusque glandulae salivales, quae postea demum (57) excoluntur, magisque agunt, primis hebdomadibus imperfectae sint salivaque parandae minus aptae. Ventriculus exiguus est, et tenuibus parietibus munitus, quorum fibrae musculares parum adhuc excultae sunt, in superficie autem interna succum gastricum magis mucosum secernit, qui minus aptus est mutationi chemico-vitali ciborum. Quibus si addis minorem facultatem caloris (58) procreandi qua pollet neonatus, intelliguntur alimenta nonnisi fluida (59) et inprimis lac maternum indole maxime animali praeditum, ei convenire. Structurae ventriculi respondet cetera intestinorum conditio; nam intestinum tenue parietibus tenuibus et fibris muscularibus nimis irritabilibus (60) nec bene excultis sed magna copia vasorum absorbentium instructum; ob longitudinem suam relativam praedominantem et ob debilem motum peristalticum suum non multum valet, alimenta solidiora protrudere. Confirmatur hoc praeterea con-

57) G. Jörg. Handbuch zum Erkennen und Heilen der Kinderkrankheiten nebst der Physiologie, Psychologie und Diätetischen Behandlung des Kindes. Leipzig 1826. S. 94.

58) Ibidem. S. 95.

59) Fr. Meissner. Die Kinderkrankheiten. Leipzig 1828. 1. Theil. S. 56.

60) L. c. Henckii. Theil I. S. 27.

templatione intestini crassi, ut et lienis et pancreatis. Nam illi multo minus differunt ab intestino tenui, nec tanto sunt ambitu, quam dein esse reperiuntur. Lien quoque et pancreas minus, quam alias par esset, valent, cum succus pancreaticus secernatur qui eadem non est vi ac qualitate, qua postea. Ex qua tractus intestinalis apud infantes qualitate nondum exulta timere liceret, hujus actionem ad protrudenda contenta sua, etsi magis fluida, non sussepturam esse, nisi contra hepar (61) permagnum et peractivum esset, magnaque etsi minus aeris fellis copia secreta tractum intestinale ad activitatem necessariam excitaret.

A. Quod vero tempus ipsum attinet, quo infanti mamma primum praebenda sit, hoc diu (62) protrahi non debet, cum partim mammae nimis lacte repleantur et turgidae durioresque fiant, ut ab infante non bene capi possint, partim colostrum neonato cum maxime prosit, non autem, quod ex errore vetere credebatur, noceat; quo errore jam Plinius (63) tenetur aliique, ex.

61) Asmund Rudolphi. Grundriß der Physiologie. Berlin 1828. 2. Band. 2. Abtheilung. S. 139.

62) Parmentier et Degeux. Précis d'expériences et observations sur les différentes espèces de lait, considérées dans leurs rapports avec la chimie la médecine et l'économie rurale Strassb. et Paris an. VII. S. 180.

63) Plinius. Histor. Natur. L. XI. c. 96.

gr. Rodericus a Castro (64), qui haec habet: „quodsi forte non adsit nutrix nec alia femina, quae puerum tribus diebus primis lactet, satius est, quam a matre sugere, mixtura (ex syrupo violarum, oleo amygdalarum aut butyro recenti) cibari a partu toto triduo aut quatruiduo, quo tempore jam lac purum censetur.“ Lac enim primum, quod tenue et aquosum, sed sufficiens est, ut recenti ciborum necessitati sine ullo digestionis damno satisfiat, qualitate gaudet purgante (65). Excitat nempe intestina infantum ad emittendum meconium (Kindspech), massam tenacem, fusco-viridem, subfuscam vel subnigram, cui, ante partum in tractu intestinali a vasis secernentibus procreatae, bilis (66) admixta erat. Haec massa in exorta nova functione tractus intestinalis moles est ejus agendi facultatem impediens; quae si non tollitur, effectus damnosi quidquid letiferi oriri possunt. Ex alia praeterea causa mater male ageret, si infanti lac hoc primum negaret, quia serum hocce nutriens alimentum tenuioris virtute fungens, ventriculum adhuc debilem, ad spissius et crassius aliquando lac perferendum paulatim praeparat (67). Quam ob causam,

64) L. c. Rodevici a Castro. Liber quartus. S. 518.

65) L. c. Meissner. Theil I. S. 31.

66) L. c. Jürgi. S. 100.

67) C. Osthoff. Ueber das Selbststillen. Lemgo 1802. S. 51.

ne saltus in natura fiat quae colostrum liquori amni similem fecit, neque ea negligantur, quae ei congrua sint horis post partum nonnullis (sex, octo ad duodecim usque) mater periculum faciat mammam praebendi. Qua autem in re puerperae vires et copiosior minorve aut citior tardiorve lactis secretio respiciendae sunt, aut respectus habendus est appetitus, quem infans prodit, quique post horas (68) nonnullas somni manifestari solet. Sin autem lactatus ex causa, quae ad modo relata pertineat, nondum legitime processit, necesse est, ut infanti alius victus praebetur, qui idem tractum intestinalem a mole impediende meconii liberare valeat. Colostrum ut optime aliis remediis detur, ab aliis alia proposita sunt. Ab Hufelandio serum lactis dulce; ab Jahnio (69) sacchari pulverisati albi in aqua vel in chamomillarum vel foeniculi infuso solutio, vel mistio decocti oryzae vel hordei cum lacte (70) vaccino vel caprino cocto et pinguibus partibus privato; ab Henckio duae aquae partes (71) et una lactis mistae. Optandum tamen semper est, ut naturae in lactatu obtemperare liceat, et primum lac infanti praebetur. Ubi autem, quod interdum fieri solet, hujus colostri

68) L. c. Cari. 2 Theil. S. 189.

69) L. c. Jahni. S. 122.

70) Ibidem. S. 123.

71) L. c. Henkei. Theil I. S. 101.

secretio justo copiosior atque diuturnior est, infantes, quorum sanitatem hoc infestaret, a mammis matris arcendi sunt usque dum colostrum catulorum sugentium applicatione aliave apta ratione removeatur.

B. Quod autem ablactationem attinet, ejus tempus certo definiri nequit, et non recte videntur suasisse, qui praecipiant, ut sexto jam mense, vel statim post primum dentem eruptum instituat, aut qui infantem per annum et dimidium lacte materno nutriendum esse censent. Ad res potius respiciendum est, earumque decursum, ex quibus lactationis tempus pendet. Sunt autem haec et in matre et in lactente ipso quaerendae. Causae vero, quae ablactationem matris ergo necessariam faciunt, haec fere videntur esse:

a) Si mater et virium imbecillitate et valetudine tenui (72) premitur, lactis quantitas minuitur, matris et infantis salus saepe postulat, ut hic citius, quam alias fieri deberet, ab uberibus removeatur, imprimis si mater ejusmodi constitutione praedita, de novo gravida existit aut mensium fluxu afficitur. Quod idem plerumque necessarium fit in matribus, quae plures infantes simul enixae his mammam praebent, quamvis, quae sana, valida et forti corporis constitutione non gaudent, ab hac lactatione plurimum simul instituenda prorsus arceri deberent.

b) Si victus vitaeque ratio, qua mater

72) Ch. Girtanner. Abhandlung über die Krankheiten der Kinder und über die physische Erziehung derselben. Berlin 1794. S. 54.

ante gaudebat, ita immutatur, ut diaetae necessariae observatio et certus in vita ordo certaue consuetudo seruari nequeant, quibus lac in deterius actum neonato alendo impar fieret.

c) Si lactatione per tempus quoddam continuata mater a morbo graviore, inprimis mammaram affectione correpta esse reperietur.

Haud secus in censum veniunt causae illae, quae infantum ergo postulant, ut lactatio aut diutius procedat, aut citius interrumpatur. Quae res ut melius dijudicari possit, ratio respicienda est, qua infantis vires (73) augentur. Infantibus debilibus victus solidior citius dari non debet, sed potius mamma praebenda est per longius tempus, quod idem saepius a medico in morbis quibusdam infantilibus ob medendi rationem praescribitur. Ablactatio autem citius incipiatur necesse est, si infans tali morbo corripitur, qui victus mutationem postulet, utpote crusta lactea (74) aliique. Aliam dein ablactationis causam in eo inveniēs, si infans mamam constanter recusat, et, quominus diutius continuetur impediatur. De ejusmodi casu Girtanner (75) haec refert: Saepius accidit, ut infans neque matris neque nutricis mamam accipiat. Quin infantes interdum tanto lactis taedio moventur, ut clamant, simulac mamam adspiciant, aut lac vel aliud iis in oculis cadat, quod lactis speciem praese-

73) L. c. Rosenmülleri. S. 67.

74) L. c. Henkii. Theil I. S. 275.

75) L. c. Girtanneri. S. 83.

ferat, ex. gr. emulsio amygdalina. Quod taedium, uti Levret animadvertit, non paulatim, sed plerumque repente exoritur. Infantes hi aegritudine nulla laborant, immo potius valetudine optima gaudent. Ut denique ad ablactationem juste instituendam anni tempus respiciatur, Joerg (76) suadet, quia mammae defectus ab infante tempore amoeno et calido, quod per totum diem sub dio manere ei licet, facilius toleratur, quam tempestate minus addicente. Quod tamen praeceptum non generaliter recipiendum est, sed regulae, quas supra omnes attulimus praecipuae sunt, quae quid hac in re statuendum doceant. Eorum autem de ablactationis tempore regula, qui eam eo tempore, quo arbores florent (77) et lunae lumina mutantur, instituire dissuadent, multo magis reprobari debet, quae sententia vana esse, nec ulla refutatione egere, facile intelligitur.

In iis autem casibus, in quibus nulla harum rationum obtinet, experientia docemur, lactationem per octo decemve menses continuatam, saluberrimam esse, i. e. lactationem, quae ad dentium (78) primorum eruptionem usque duret, qui tractum intestinalem ejusque organa adjutoria magis exculca et ad concoquendum aptiora esse (79) indicant. Quae ablactatio autem ut omni in re saluberrima existat, mater non re-

76) L. c. Joergi. S. 219.

77) L. c. Rosenmülleri. S. 68.

78) W. Rau. Handbuch der Kinderkrankheiten. Frankfurt a. M. 1832. S. 24.

79) L. c. Jörgi. S. 134.

pente, sed illa, quae par est, cura adhibita, paulatim ad eam procedat. Notum est, quam difficile sit adulto cibus renuntiare, quibus assuetus est, unde conjicere licet, quanto magis haec cita mutatio infanti nocere debeat, cujus organa digestionis multo minori energia praedita, repente ex majori copia nutrimentorum alienorum illas partes discernere et concoquere coguntur, quae in lacte materno jam praeparatae et aptissime commistae erant. Meissnerus de ablactatione (80) optime haec praecipit: Si fieri potest, infans tam diu lactatione alitor, usque dum dentes lactarii plures prodierint, quo natura indicat, infantem jam parem esse, alios cibos digerere. In ablactatione ipsa magna cura adhibeatur, infantesque nonnisi paulatim a mamma amoveantur, eadem ratione, qua aliorum ciborum copia augetur. Docet enim experientia, infantes, qui per sex pluresve menses non nisi lacte materno fruebantur, et dein subito a mamma prohibiti sunt, alios cibos nullo pacto sumpsisse, et ob hanc nimiam et citam victus mutationem maxime inquietos et macros existisse, quin diuturnis digestionis molestiis affectos esse. Quodsi contra lactentes jam sexta vel octava vitae hebdomade, aut si Fleischii (81) sequimur praeceptum, sexto aut septimo mense, aliis cibus paulatim assuefiunt, et puls panis bis cocti illis initio bis de die datur dosi tamen exigua, aut jusculum ipsis dandi periculum fit, permagna inde oriuntur commoda. Quia in victus ratio-

80) L. c. Meissneri. Theil I. S. 29.

81) L. c. Fleischii. Theil I. S. 149.

ne aptum est, cibum illum novum certis diei temporibus praebere. Sex vel octo jam hebdomades ante ablactationem mamma rarius praebetur, ita ut infans tribus aut sex diebus elapsis in horarum viginti quatuor spatio semel minus, quam antea, lacte nutriatur; dein viginti quatuor horis bis tantum et denique semel mammam accipiat; quod Joerg (82) scite commendat. Tempore eodem quantitas cibi alieni eadem ratione augeatur, qua re lac matris pedetentim minuitur, et ablactatio matri minus difficilis fit, ab infante autem cibus novus tam caute et latenter aufertur, ut ablactatione non multum inquietari soleat. In infantum quoque corpore post ablactationem hac ratione institutam mutationes noxiae nullae, quae alias exoriri solent, animadvertuntur. Quod ut efficiatur, adjuvat, si cibus novus, ne dolores colicos aliaque mala provocet, nunquam gelidus, sed eodem, ac matris lac, calore praebetur; calidior (83) autem, tractum intestinale relaxans, nocet. Sed ex alia quoque causa ac ea, quam modo dixi, nempe ut infantis nutritio legitimo ordine procedat, necesse est, praeter matris lac alius cibus infanti praebetur. Quin mater robustissima viribusque maxime pollens, ut Rosenmüller (84) animadvertit, mense tertio ad sextum usque elapso infanti non tantum cibi ex mammis praebere potest, quan-

82) L. c. Jörgi. S. 220.

83) J. Ch. Rosenmüller. Die Kinderstube von ihrer physischen Seite dargestellt zur Beherzigung für Hausväter und Hausmütter. Leipzig 1803. S. 81.

84) Ibidem. S. 60.

to eget, ut bene crescat. Quam inutilis igitur sit lactatio a matre debili, quaeque tenui valetudine gaudeat, aut ab ea, quae gemellos procreaverit eosque ipsa mammis nutriat, diutius continuata, per se patet. Etsi in cibo bene nutrienti facillime (cui van Swieten mucosas, blandas et gelatinosas escas adnumerat) ad digerendum, vel in artis ope adhibita subsidia quaerit quantitatis et qualitatis lactis augendae, nihilominus citius tardiusve, ut reproductio, quae in infantiae annis tanti momenti est, foveatur, praeter lac maternum alius cibus requiretur. Ex his sequitur, infantes, qui cito crescunt, alios cibos prius quam eos, qui debiliores sunt, quorumque reproductio minori in gradu viget.

C. Observatio praeceptorum denique, quam (85) saepe et quo ordine mamma praebenda sit, non minoris momenti est, nec minoris potestatis ad fructus procreandos, quos a lactatione a matre bene instituenda desideramus. Propter variam autem corporis indolem infantum et majorem minoremve affluxum lactis in matribus et ob peculiare earum variasque vitae rationes hac de re proferre non licet, quod certum sit et quovis in casu vigeat; sed generatim contendere licet: neonatum primis diebus ad hebdomadem fere secundam nulli certo tempore adstringendum, sed matri potius observandum esse, quam saepe cibi cupiditatem manifestet, eique propterea tam saepe mammam praebendam esse, quam inqui-

85) L. c. Boërii. S. 59.

etum (86) sitique laborantem sese praebent. Certam victus rationem neonato jam nunc statuere contra naturam esset; obnoxium enim foret, cum diactae ordinisque causa ex somno (87) expergefaceret, qui hoc tempore ei tam necessarius est; dein cibos hoc tempore multo citius consumit, eamque ob causam non tam valet tantam cibi copiam simul sumere, quanta ad longius tempus opus est. Quam saepe igitur hoc tempore clamat, mammae oblata silet, lac ei praebere debet, attamen et in commoditatem majorem matris et in majorem neonati utilitatem cito curandum est, ut certo ordini in nutriendo certo tempore, quo bibat, assuefiat. Fleisch (88) suadet, ut tribus circiter primis vitae mensibus lactatus temporibus instituat haece: primum mane ante horam septimam et octavam, postquam infans balneo usus lautusque est, dein intra horam decimam et decimam primam; tertium hora dimidia vel tota post matris prandium; quartum vespera circa quartam vel quintam horam; quintum hora dimidia post coenam, et sextum, si infans noctu evigilat famemque suam manifestat. Infanti mensibus jam profectioni mamma non nisi ter vel quater praebere debet; tertiaque vel quarta anni primi parte (89) ter tantum de die, sed certis semper diebus temporibus certoque ordine. Nam infantes, qui per totum diem et sine ullo ordine nutriuntur, facile aegrotant, partim quia infan-

86) L. c. Fleischii. Theil I. S. 124.

87) L. c. Girtanneri. S. 72.

88) L. c. Fleischii. Theil I. S. 125.

89) L. c. Rosenmülleri. S. 56.

tis (de incommodis enim, quae matri inde nascantur, hic non loquor) ventriculus digestionibus officia finire nequit, nec certa tempore habet, quibus vires suae et succus gastricus digestionem inservientes regenerari possint, partim quia infans hac ratione magis serosas tantum lactis partes, ideoque cibum parum nutrientem accipit. Mammam quae sugitum infantum omnino fere exanthlantur horum sanitati saluberrimas esse, Frank (90) exemplo docet infantum rusticorum, qui clamantes a matribus deseruntur, ter tantum vel quater de die eas adeunt, ideoque majori cum libidine sugunt; quod nihilominus iis non nocet, cum potius crescant indeque validi evadant. —

Quaevis dein mater infantem assuescere studeat, ne noctu potum poscat, quae regula tamen, uti jam supra dictum est, in primis vitae hebdomadibus mutationem recipit, cum is maximo adficeretur incommodo, si per tot tempus nulla nutrimenta acciperet. Sed jam a medio tertio mense infans morem exuere doceatur noctu bibendi, quod si paulatim fit, sine ulla difficultate procedit, et non solum sanitati infantis, sed quoque matris, cui quies noctis tempore tam necessaria est, maxime addicit.

Matres infantum clamore et fletu non raro moventur, ut ab his regulis recedant, cum hoc falso (91) famis signa habeant, quam mammae

90) J. P. Franc. Ueber gesunde Kindererziehung nach medicinischen und physicalischen Grundsätzen für sorgsame Eltern, besonders für Mütter. 2. Aufl. von Dr. J. Gruber. Leipzig 1803. S. 25.

91) L. c. Fleischii. Theil I. S. 136.

frequentiori usu sedandam putant, aut quod magis nocet, pulti quadam aliisque cibis. Aptius reique convenientius de causis quaerendum est clamoris et lacrymarum, quae vel ex inepta fasciarum ligatura, ex sordibus gastricis, quae in intestinis remanserunt, vel ex quadam morbosa affectione oriuntur, quae causae, lactis majori copia quam infantis corpus exigit sumta, non auferuntur, imo potius augentur. Quapropter Zacharias Plattner non male suadet (92), ubi infantes nimium fleverint, iis victum potius detrabere, et hac via stomachi vitia, quae errore continuato augentur et in pejora gravioraque mala transeunt, abstinentia corrigere.

Nec absurda videtur eorum sententia, qui putant, mammam saepius rariusque praebendam esse pro lactis quantitate, quam infans vice quavis accepsisset. Quae autem quomodo recte certeque definiatur vix est, quod dicamus, cum ex vi ac celeritate (93) pendeat, qua lactens sugit, ex lactis in uberibus copia et ex facilitate, qua profluit. Ceterum de lactis quantitate, quam simul, uno eodemque tempore excipit anxii curare non debemus, cum infans naturali tantum appetitu, ut sugat, ducatur, eoque sedato sugere desinat, naturaque id institutum sit, ut infantes lactentes lac superfluum; quo tractum intestinalem nimis repleverint, sine magno incommodo evomant.

92) L. c. Franc. S. 26.

93) L. c. Jörgii. S. 219.

§ 8.

De lactatu non sine medici consilio interrumpendo.

Uti mater, quae, officium recusans sanctissimum a natura praescriptum, sobolem ipsa non nutrit, vituperium (94) acerbissimum meretur, illa quoque non probanda est, quae quidem lactatum incepit, sed eum difficultate quacunque quin minima exorta, interrumpit. Impedimenta ea non dico, quae ipsa semperque lactatum impediunt; ea tantum in mente habeo, quae re vera impedimenta non sunt, vel artis ope recte adhibita facile vincuntur, quorumque recta diductio in matribus ipsis quaeri aut supponi non potest. Quam ob causam matri lactanti cuivis ob incommoda, quae et neonato et matri simul aut alteri utri exorirentur, praecipendum est, ut ejusmodi in casu eorum adhibeat consilium qui experientia reique scientia gaudent, eorumque praeceptis obsequatur, num lactatum quibusque cautelis adhibitis continuare, numve ab hoc desistere debeat. Qua in re ut horum incommodorum recta ratio habeatur ipsis politiae medicinalis praeceptis obtemperandum est, quae majorem matris (95) quam infantis curam haberi jubet. Hoc autem matris lactentis quod diximus officium re vera maximum esse, facile persuademur, etsi gene-

raliter tantum animum iis rebus advertimus, quae impedimentorum illorum speciem praese ferunt.

Primum quod morbos attinet, qui matrem afficere possunt, qui primo loco hic nominandi sunt, quibusque et agalactiam et polygalactiam adnumero, facile liquet, quam difficile sit, generalem quandam de iis regulam proferre, quando lactatum impediunt nec ne. Rosenstein (96) enim testatur, se exempla reperisse matrum, quae febribus biliosis, nervosis, putridis, miliaribus laborantes infantibus sine ullo damno ubera praebant. Lettsom (97) dein observavit matres plures in typho contagioso permaligno per totum morbi decursum infantibus sine ullo horum damno mammam praebuisse. Et Tode (98) refert, matrem febris putrida laborantem ad mortem usque infantem sine hujus incommodo lactavisse. Dein Jahn hac de re scribit (99): Qui theoriis veteribus et abrogatis, quae in pathologia de humoribus et solidioribus corporis partibus tradi solebant, renuntiavit, sine ulla eunctatione matribus satis multis febris, arthritide aut morbis spasmodicis affectis a lactatu non interdicit, nisi morbus nimis violentus earumque vires nimis debiles sint; earum enim sanitatem jam maxime corruptam esse debere, quarum morbis

94) L. c. Rosenmülleri. S. 72.
95) G. v. Ehrhardt Entwurf eines physikalisch-medizinischen Polizeigesetzbuches und eines gerichtlichen Medicinalcodex. 2. Band. S. 31. Augsburg und Leipzig.

96) L. c. Rosenstein. S. 19.
97) Medicinische Nachrichten von dem allgemeinen Dispensatorium in London. S. 23 — 44.
98) Tode. Medic.-chirurgische Bibliothek. Kopenhagen 1774. Erster Band. S. 3.
99) L. c. Jahni. S. 127.

lac in quantitate et in partibus suis multum mutetur. In morbis vero, qui periodicum typum exhibeant, matri tunc imprimis a lactatione abstinendum esse, ubi arthritidis, spasmodicorum vel similiarum morborum impetus accesserit. Quae in re tamen monere non neglexit: etsi novas theorias sequentes minus anxii, quam medici priores, matres aegrotas non omnes a lactatu repellamus, quibus antea denegabamus, tamen rei gravitatem hoc in negotio magnam prudentiam, cautelam et sollicitam diligentiam postulare. Cum his Ehrhardti (100) sententia congruit, qui praecipit: matres non statim ob morbum quemque ab infantum lactatu arcendas esse, cum experientia doceat, infantes permultos in ejusmodi casibus nullum inde cepisse detrimentum. Fleisch (101) contra aliique generaliter monent, infanti a matre aegrotae lac non prius praebendum esse, quam rursus ad valetudinem perfectam redierit. Ex his videre licet, de matrum morbis, qui lactatum impediunt, nihil statui posse quod generaliter valeat; facileque est intellectu, casus singulos, ut recte dijudicentur, diligenti atque sollicito peritorum examini subiciendos esse; matres autem, quae nullo casuum respectu habito, morem aut quae sibi placeant sequantur, de iis iudicium sibi solas adrogare non posse.

Quae de matrum lactantium morbis in universum diximus, non minus de incommodis valent, quae vel ex inflammatione

100) L. c. Ehrhardti. 2. Band. S. 37.

101) L. c. Fleischii. Theil 1. S. 118.

vel abscessibus vel ulceribus vel ex papillarum erosione vel ex aliis topicis mammarum morbis oriuntur. Hi quoque lactatum neque semper impediunt, ita ut prorsus intermitteri debeat neque semper tam parum nocebunt, ut sine ullo discrimine continuari possit. Idem non solum de aliis lactationis impediuntis, quae in matre oriuntur, ex. gr. de menstruatione et de graviditate, de quibus supra jam monuimus, sed etiam de iis valet, quae in infantibus morbo graviore vel sola virium attenuatione vel alia corporis aegritudine vitiove quodam affectis, inveniuntur. Quae si oriuntur, mater medicam consulat ejusque praeceptis obsequatur, necesse est, duplici quidem ex causa. Primum ne lactatione, a qua abstinendum fuisset, continuata, matri atque infanti damna, quorum exitus definiiri non posset, oriantur, neve, si contrarium fieret, lactatione nimis cito interrupta, infans sine causa magnoque cum damno lacte matris sibi tam salutari privetur, et secundum, quia saepissime ubi in ejusmodi conditione mater lactare desiit, tum matris cum infantis salus requirit, ut dieteticas atque therapiae praecepta quaedam matri ignota observentur.

§ 9.

De infantis diaeta sensu latiori sic dicta.

Denique diaetam, sensu latiori (102) sic dictam infantis huc traxerim. In contemplatione organismi et functionum ejus vita-

102) J. Koch. De moderando praecipuarum nocentium potentiarum in neonatos influxu aduersaria quaedam Kiliae 1809. S. 5.

lium eas arctissime connexas esse videmus. Unde fit, ut simili ratione, qua functio non turbata organi cujusdam majoris momenti, ex. gr. tractus intestinalis magnam vim exserit in functiones aliorum organorum, num integras maneant, nec ne; eadem decursus non turbatus aliarum functionum maxime influat, ut organi hujus singularis functio bene procedat. Ex quo, ut effectus lactationis saluberrimi et aptissimi fiant, sequitur, ea quoque facienda esse, quae reliqua infantis tractatio diaetetica postulat, ex. gr. respirationis, cutis, ossium, musculorum et sanguinis circuitus et cet. Quapropter non absolum mihi videtur, quamvis de sola diaetetica tractatione lactentis circa tractum intestinale scribere proposito sit, officii, quae hac de re matri observanda esse retuli, illud adnumerare, ut reliquis quoque educationis naturae congruae rationibus in prima neonati vita satisfaciatur, si lactatum ipsum quam maxime prodesse cupit. Omnia autem, quae ad eas pertinent, fusius si pertractarem, fines dissertationis transgrederer, quam ob causam hoc ab instituto meo alienum esse puto. De quorum tantum uno, i. e. de more infantes fasciis involvendj, cum peccata matrum circa hanc rem commissa digestionis illorum arctissime connexa, tam magnum detrimentum ei afferant, pauca, quae huc pertineant, monebo.

Neonatus maximo cum damno mira quadam ratione vestitur, et magna linteorum mole ejus brachia, pectus, pedes, quin caput ipsum involvantur. Quoniam damna, ut reliqua mittam, ex hoc organis abdomi-

nis et functionibus tractus intestinalis praecipue oriantur, facile est perspectum. Abdominis enim compressione peristalticus non solum ventriculi atque intestini tenuis et crassi motus, et, quae inde pendet, digestio ipsa, sed sanguinis quoque totius circuitus turbatur, quia et pressione continua in vasa superficiei sanguis magna cum vi ad intestina interiora pellitur, et ventriculus repletus, quominus magnam curvaturam suam prorsum et sursum moveat, impeditur, ita ut potius premat vasa majora, quae sub eo jacent. Qua ex causa Franc. (103) neonatorum quendam explicat vomitum. Meissner (104) quoque testatur, nimia pressione in regione ventriculi vomitum infantum post cibum et potum procreari, qui nullo medicamento tolli possit. Et Juch, cum in sectione quadam instituta intestina abdominis omnia coalita invenisset, hoc ex nimio et diutius continuato fasciarum usu explicavit.

Quaeritur dein, quid matri faciendum sit, ut haec incommoda vitet. Fuerunt, qui hunc in finem fascias prorsus dissuaderent, et stragulam tenuem commendarent. Alia tamen inde exorirentur damna, cum corpus tenerum nullo tegumine densiori opertum sine ejus dolore non attingatur, et cum sultura necessaria vestium, qua hoc tempore, ut erigi possit, eget, ei detrahatur, eademque ratione difficile sit, cum in temperatura aequa tenere. Quae commoda neonatis non auferantur, Rosenmüller (105) pulvillum vel

103) L. c. Franc. S. 94.

104) L. c. Meissneri. Theil I. S. 37.

105) L. c. Rosenmülleri. S. 46.

culcitam commendat, cui in utroque latere vincula adligentur, quarum ope pulvillum non arctissime colligetur, ita ut totum lactentis corpus undique vestitum libero artuum suorum motu gaudeat. Henke (106) aliique fasciarum usum non prorsus rejiciunt, modo cautela necessaria adhibeatur, ne infans fasciis arctius vel pressius comprimat. Quem in usum fascias commendat ex vittis elasticis acu textis vel ex flanela factis. Dein suadet, ut thorax et brachia tota libera sint, abdomen levissime circumdetur, et acuum loco vincula in usum vocentur: infans praeterea quotidie per horam totam vel dimidiam sine fasciis jaceat, ut artus ad libitum movere queat; post tres priores menses autem fasciis nunquam circumdetur. Denique seriori tempore vestes adhibeantur praecipit, quae extensibiles, utpote tegmenta acu texta, nimis arctae non sint, nec inprimis pectus vel abdomen comprimant:

Quae cautelae inprimis mihi videbantur observandae esse, ut matris lactatio suboli prosit eique saluberrima fiat.

106) L. c. Henkii. Theil I. S. 113.